



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

26. S. Stephanus Protomartyr

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Instructio meritoria.

Coram Præsepio. Ibi per horam perseveremus, & cum officio de amantissimo Corde Jesu in honorem quindecim Mysteriorum tria S. Rosaria addamus. Oranti, & ad cunas Jesu vigilanti dabitur manna absconditum, & nomen novum.

Festum Gloriosissimi Protomartyris S. Stephani.

EXHORTATIUNCULA I.

L Apides torrentis S. Stephano dulces fuerunt. Cur? Quia gaudens suscepit, ut mereretur accipere coronam gloriæ. O igitur quàm verum Pauli dictum: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Dæmon patientiâ confunditur. Fortitudo, & laus nostra Dominus. Fili! non interrogemus, quæ patimur? Sed quæ passus est ille: Quanti nos fecit, ex his, quæ pro nobis passus est, attendamus. S. Bernardus.

Instructio meritoria.

Lapides sancti Stephani nobis non desunt. O utinam non & illius patientia!

Gg. 7

Conf-

710 XXVI. Decembris. S. Stephani.

confiteamur huic fiducialiter nostram infirmitatem, & ut tempore tribulationis nobis potenter assistat, cum hodierna Communione sacramentali unum Rosarium ei offeramus, desiderantes: *Lapidari Domine cum S. Stephano, lapidari, & non mori.*

II.

ECce video caelos apertos, Exclamat B. Stephanus. *Vidit & Jesum stantem à Dextris virtutis Dei.* Hæc præmia sunt pro Deo decertantium. Si delectent, non attendamus, quid dicant homines, sed quid mereatur Deus, & quid à nobis exigat Christus. Hinc S. Augustini monitum: *Hæc quanta sint, cogitate! Hæc in statera cordis vestri appendite, & totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fixus fuit in Cruce.*

Instructio meritoria.

Sed quid exigit Christus? Victoriæ de respectu humano, qui toties nobis clauserat cælum. Igitur in Divinis officiis, exercitiis religiosis, & visitationibus Ecclesiæ simus zelosissimi. Claudamus sensus, mortificemus visum, & linguam, & videbimus Jesum stantem à Dextris Dei. Porro Rhythmum dicamus Angelici Doctoris: *Adoro te devotè latens Deitas.* Non sensibûs, sed spiritu jungimur Deo.

III.

INter dolores fortè obiit S. Stephanus? Neutiquam: sed *obdormiit* (memorant acta Apostolo-

stolorum: *in Domino*. Mors piè viventium
 somno est similior; quia tunc belli finis, & pa-
 cis initium. O fili! an non & nos desideranter
 ingemiscimus; *Moriatur anima mea morte ju-
 storum!*

Instructio meritoria.

Dabitur, si vivamus, si laboremus, si & patia-
 mur ut Justì. Igitur pactum faciamus cum
 omnibus Sanctis in cœlo triumphantibus, saltem
 semel in septimana recitandi *Lytanias de Illis*, ut
 vel hoc fœdere nobiscum vivant inter hujus sæ-
 culi miserias, & varietates: & tandem à lectu-
 lo mortis feliciter, suaviterque deducant ad op-
 tatam patriam. Notemus & Divi Augusti-
 ni Doctrinam: *Mori malè times, & malè vi-
 vere non times. Corrige malè vivere, time malè
 mori: Sed noli timere: Non potest malè mori,
 qui vixerit bene.* Id quod nobis tribuant Superi!

Festum S. Joannis Evangelistæ Discipuli
 Christo amicissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Hic est discipulus, quem diligebat Jesus. Cur
 dilexit præ cæteris? Quia Virgo electus à
 Christo, Virgo in ævum permansit. O Fili!
 quò plus cordis amaverimus puritatem, & mun-
 ditiem, eò plus crescimus in amicitia cum Chri-
 sto. Puritas cor possidentis lætificat, & animæ
 ad cælestia alas addit; passiones minuit, & ani-
 mum à turbationibus protegit; justos illumi-
 nat, & diabolo offundit tenebras. Beatus, qui
 sic